

Dissertatio medica inauguralis, de phthisi pulmonali / [George Gregory].

Contributors

Gregory, George, 1790-1853.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Ballantyne, 1811.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y3eve7wk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

PHYSIOLOGICA

8

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GEORGIUS GREGORY,
ANGLUS.

Pestis adest, cui nec virtute resisti
Nec telis armisve potest.
OVID. MET.

Prid. Idus Septembris horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCIJ.

1811.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI

QUAERIT

AN ET QUOMODO CURARI

ET AUCTORITATE ADVERTENDI ADHUC VIDE

D. GEORGI BAIRD, M.D.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS

PROPOSUIT

AD PRAESENTANDUM ACADEMICAM

DE GRADU DOCTORIS

EDINBURGI

ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

ET REGNI SCOTIAE

EDINBURGI



EDINBURGI

MDCCCXXXIII

EDINBURGI

MDCCCXXXIII

1811

MATTHÆO BAILLIE, M. D.

AMICO PATRIS,


SIBI ET BENIGNO, ET BENEFICO,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

DICAT DEDICATQUE

AUCTOR.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

Nec tempus sinit, nec animus fert, tentamen ut longum ineam; neque sane longo opus est; quippe minime ad alios condocendos, neque ad morbum perfectè describendum, scribo, sed ut legibus hujus Academiae, quâ possum, obtemperem. Perpaucas observationes de Phthisi Pulmonali in lucem edere decrevi. Aliquid novi ut proferrem, vix equidem sperare audeo; morbus enim de quo agitur nimis diu cognitus est, auctoribusque

longe eruditioribus nimis frequenter jam descriptus est. Quæ vidi tamen, non quæ legi, scribam, meæque paginæ breves et paucæ, si non aliis, mihi ipsi fortasse proderint.

Nullus in hac insula grassatur morbus, periculosior quam qui Phthisis Pulmonalis dicitur; nullus certe frequentior: oportet igitur unumquemque medicum diligenter et attente in hunc morbum incumbere. In variis nosocomiis quæ adivi, occasio frequens mihi data est, exempla hujus morbi videndi.—Quæ docuit hæc experientia breviter narrabo; et, ut has observationes quam maxime perspicuas reddam, in tria capita argumentum statui dividere. Incipiam ab Historia Morbi. Dein Causas, et cadavere inciso, observata memorabo. Postremo, de curatione morbi pauca proferam.

SECTIO PRIMA.

In qua de Historia Morbi agitur.

DIFFICILLIMUM est ullius Morbi Historiam perfectam tradere, et præsertim si in longum tempus solet protrahi. Decursus morbi porro multum variat; sed ratio consueta Phthiseos Pulmonalis ex verbis sequentibus forsitan colligetur.

Plerumque a catarrho vel potius a tussi incipit, diu manente, curatu difficili. Hoc morbo vixdum submoto, sputum, sanguine hic et illic variatum, tussiendo subinde exscreatur. Rubrior fit sputi color. Denique

sanguinem ipsum, rubrum et spumosum, æger expuit. Urget nunc febris exigua et tussis sicca perstat. In quadam parte thoracis, vel, quod sæpius fortasse observatur, in scrobiculo cordis, dolor incipit, vel ponderis, vel stricturæ, vel oppressionis cujusdam sensus. Dolor autem non semper est æque gravis. Tussiendo, per noctem, et sub inspiratione plenâ potissimum augetur. In latus alterum æger moleste jacet. Ob tussim ægrè dormit. Expectoratio jam difficilis est. Anhelationes magis justo breves et frequentes observantur. Pallet æger et emarcescit, vultusque angustiae quandam speciem acquirit, descriptu difficilem, sed facillime et fere semper observandam. Vis musculorum indies minuitur. Breve post tempus ingravescent omnia symptomata. Dolor pectoris pertinaciter urget. Augetur tussis et spirandi difficultas. Expectoratio faciliior fit, sed materiem purulentam, muco admixtam,

æger exscreare incipit. Crescit febris. Pulsus frequens et citus nunc evadit, et mox eâ feбри, quæ ab auctoribus medicis Hectica appellatur, tenetur æger.

Frequentes rigores, quibus insequitur calor, incertis temporibus nunc conqueritur. Facies sæpe erubescit, ruborque genarum circumscriptus fere semper observatur. Pus e pulmonibus expuitur. Pulsus frequens est, et subinde mira celeritate micat. Plerumque, ictus arteriarum circiter cxx, in horæ sexagesima parte, numerare solemus. Pulsus quoque *citè* micare sentitur, modo, quem verbis exequi admodum difficile est. Calor corporis, nisi adsit exacerbatio, haud multum augetur. Appetitus cibi in hoc morbi gradu nulla regulâ tenetur. Nunc omnino abest. Nunc, et certe sæpius, ne minimâ quidem ex parte minuitur. Idem de siti quæ phthisin comitatur, dici potest. Sitis, ut

opinor, plerumque abest, sed exempla mihi non defuere, ubi ægri multam conquerebantur sitim. Lingua initio aliquando albida fit, postea vero ruberrima. Sæpius a specie ejus consueta non longe differt. Obiter mihi notare liceat, Auctores Medicos non adhuc accuratè descripsisse varias species linguæ quæ in variis morbis observantur. Hanc rem, quâ possum, posthac perscrutari conabor.

Cutis, interdiu, humorem solitum habet et idoneum. Noctu tamen plerumque adest sudor profusus. In primo morbi tempore alvus vel naturalis est, vel paululum astricta. Diarrhœa tamen, vix sedanda, in ultimo fere semper urget. Debilitas plurimum augetur. In lecto igitur se omnino continet;—transire cubile non sinunt vires. Omnia nunc ruunt in pejus. Æger denique, secretionem purulentâ,

dolore, tussi, feбри, diarrhæa, sudoribus exhaustus, morbo succumbit.

Ordine jam dicto, symptomata Phthiseos Pulmonalis plerumque apparent, sed vix duo exempla reperiuntur, quæ in omni signo, sese invicem referunt. Dolor pectoris aliquando levis est, subinde omnino abest. Tussis nunc gravis est, nunc levis. Spirandi difficultas raro decumbendo augetur. Casus nihilominus nuper a me visus est, in quo æger decumbens spirare nequibat. Hic autem, cadavere inciso, pauxillum aquæ in cavo thoracis apparuit. Simili modo, quantitas sanguinis, quæ in primis gradibus expuitur, variat. Plerumque satis sanguinis puri observatur, ad cyathos duos vel tres implendos. In uno, quem vidi casu, a plurimo sanguine effuso, æger suffocatus est. Sudores et Diarrhæa sæpe simul adsunt; alter tamen sine altero subinde occurrit. Duos novi casus in

quibus nec sudor nec diarrhæa aderat, sed uterque lethalis fuit. Ex his omnibus colligere possumus, quanta extat varietas in symptomatis hujus morbi. Signa quæ nuper tradidi, ea sunt quibus Phthisis dignoscitur : in hoc loco autem plura de Historia Morbi oportet dicere.

Ætatibus valde diversis, morbus de quo agitur, oritur. In infantibus rarissimus est ; in pueris ab anno septimo ad duodecimum rarus. Senes huic morbo non sunt obnoxii. Exempla tamen haud desunt, quæ plane demonstrant Phthisin Pulmonalem senectutem decrepitam aliquando aggredi. Inter auctores medicos diu consensus est, ætatem maturam in Phthisin esse maxime proclivem. Intra annos decimum octavum et trigesimum quintum præcipue grassari dicitur. Fortasse res ita se habet, sed sæpe oritur priusquam æger annos octodecim nu-

meraverit, et sæpe observatur intra annos trigesimum quintum et quadragessimum quintum. Multos ægros et ipse vidi quibus Phthisis mortem attulit, et qui annos quinquaginta attigerant.

In scriptis Auctorum Medicorum, qui de hac re observationes in lucem protulere, alius error, ut opinor, patet. Phthisis Pulmonalis rarius inter viros quam inter fœminas observari dicitur; sed quantum docuit mea experientia, latius inter mares grassatur. Dum in nosocomio Sancti Georgii Medicinæ studio incumbebam, Phthisi Pulmonali triginta ægros laborantes vidi, quorum viginti et quinque masculini, quinque solummodo fœminei erant sexûs: et eo, a priori, magis adducerer ut credam, quod Fœminæ, non æque ac viri, causis excitantibus hujus morbi sunt obnoxia.

Non semper per idem tempus manet mor-

bus. Aliquando, dies quadraginta vix teruntur priusquam de ægro conclamatum est. Nonnunquam anni duo, tres, vel plures, non sufficiunt ad ejus tollendos dolores. Plerumque vero, per sex menses perstat morbus. Multæ res decursum ejus cohibent. Calor æstatis, in hoc efficiendo, maxima vi pollet. Raro videmus ægrum phthisicum, qui, durante æstate, duxerat originem morbi. Tot Phthisici non æstate, quot hieme moriuntur. Graviditas quoque et lactatus, modo admodum mirifico, tabis sævæ cursum cohibent. Hoc sane diu cognitum est. Nonnulli auctores et haud parvi nominis, rationem hujus rei reddere conati sunt;—me judice tamen frustra. Ad legem naturæ solummodo referri potest, per quam, vel inveteratus morbus, grandibus propositis œconomiae animalis probe cedit.

Non adhuc satis certus scio, an auctores

medici istam vocis mutationem memoravere, quæ, ut opinor, adeo frequenter hunc crudelem comitatur morbum. Vox quasi rauca fit, et voce depressa æger loquitur. In catarrho simile signum sæpe observatur. In Phthisi raro abest. Inter signa pathognomica hujus morbi id ipsum collocarem.

Febris Hectica, quæ Phthisin Pulmonalem comitatur, non longè ab ea differt quæ multos alios comitatur morbos; præsertim fracturas ossium compositas, articulorum cariem et similia. Febris peculiare genus hectica est, et variis modis, ab omni alia febris formâ, quæ mihi nota est, discrepare videtur.

I. Inter febrem hecticam et alios morbos hujus generis, hoc maxime interest, quod aliarum omnium febrium in sanitatem restitutam est proclivitas, et si sinunt vires, æger plerumque convalescit. Febris hectica, con-

tra, non talem habet proclivitatem. In pectus semper ruit. Exitium ægrotantis semper molitur.

II. In symptomatis quæ morbum dignoscunt, febris hectica ab aliis differt. Caput raro afficitur. Dolor capitis igitur insolitum est symptoma, delirium quoque rarissime evenit. Cum ægro olim collocutus sum perspicuè reddente responsa, quum arteria radialis pulsare desinivit, et qui post horæ quadrantem animam efflavit.

III. Febris hectica duas exacerbationes quotidianas a Culleno dicitur ostendere. Fortasse res ita se habere possunt : eas autem adhuc, nunquam observare potui. Certe exacerbatio vespertina, horis sex post meridiem incipiens, sæpe accidit, et omnibus innotuit.

IV. Alia quoque res, in hoc loco notatu digna, febrem hecticam ab aliis distinguit. Mens raro deprimitur. In aliis omnibus quas vidi, febribus, multum inest et anxietatis et tristitiæ. In Phthisi talia symptomata raro videmus. Pauci ergo Phthisici mortis metu ducuntur.—Quod jam dixi, diu certe cognitum est, id autem in hoc loco non notavi, priusquam multa exempla observationem comprobantia, mihi sese obtulere. Ægrum de salute percontatus sum, pridie ejus mortis: mihi respondit, se jam convalescere. In tali curâ benignè a Naturâ agitur. Tristissimum sane foret, si per tot menses, æger exspes vitam degeret invisam.

Quando in duas species incipientem nempe et confirmatam, Phthisin Pulmonalem diviserit Cullenus, duos tantum gradus ejusdem morbi indicavit. De hac re autem non consentiunt medici, sed de verbis disceptare non opus est.

Res est nequaquam difficilis diagnosin morbi reddere. In primis gradibus nonnunquam a catarrho, non sine difficultate distinguitur; sed quodocunque catarrhus diutius æquo manet, morbum suspectum semper habeamus oportet. Si adhuc dubitetur, hand multum errabitur, si Phthisi incipienti obstetur.—Series symptomatum quæ nuper tradita est, in formanda diagnosi, quum morbus inveteraverit, omnem difficultatem summovet.

Prognosis in hoc morbo maxime infausta est. Variat antem prout variat morbi gradus. Nonnulli e Phthisi confirmatâ convaluerunt. Dicere tamen vix opus est, eventum tam felicem raro a nobis posse sperari. Adspice pulmones, inciso cadavere; non miraberis quare in ultimis gradibus morbi, prognosis adeo est infausta. In prioribus, medicina et regimen multum valent. Rebus sic se habentibus, prognosin magis felicem tunc red-

dere possumus, sed in omni casu, maxima cura, et non sine adjecto timore.

Variat materies quæ in decursu morbi e Pulmonibus excreatur. Imprimis mucosa est ut in catarrho, dein purulenta fit. Auctores nosologici diu de Phthisi calculosa locuti sunt, et occasio mihi nuper data est exemplum hujus generis videndi. Molecula e phosphate calcis erat confecta. Sequentem casum, dum Londini degebam, mihi videre evenit. Fæmina Phthisi Pulmonali laborare visa est. Demum, materiem multam membranosam exspuit, et exinde salutem recuperavit. Nemo est qui dubitet, hanc fuisse veras hydatidum reliquias. Tale exemplum rarissime occurrit.

SECTIO SECUNDA.

In qua de Causis, Effectibus, et Theoria Morbi agitur.

MORBORUM causas in duas classes auctores medici distinguunt, predisponentes scilicet, et excitantes. Quod ad hoc attinet, non multum errare possumus, si in hoc loco eorum exempla sequamur.

Causæ predisponentes Phthisiös Pulmonalis certe obscuræ sunt. Pulmonum debilitas, quocunque orta modo: debilitas corporis totius hunc morbum sæpe creant. Thorax male formatus, spina curvata morbum mechanicè inducunt. Varii vitæ modi, ratione di-

versa, eandem rem efficiunt. Novi olim Germanum adolescentem, qui Phthisi periit, et cujus vitæ ratio huic morbo fuit adeo opportuna, ut verisimile est, eam ipsam, ejus originem præbuisse. Ille tibiâ cecinit in cohorte equitum cui præest Princeps Walliæ. Alium quoque virum novi, quem Phthisis adorta est, ab ejus vitæ ratione ducens originem. Piscator hic erat in Littore Labradoriano, ubi ob frigus durissimum, perdiderat pedum digitos. Æger quoque quem olim vidi principia Morbi attribuebat alternis frigoribus et caloribus quibus in pistrina objiciebatur.

Opinionem, quam tradidit celeberrimus Ramazzini, non adhuc satis comprabatam habeo; eos homines nempe, qui, ob vitæ rationem, vapores acres et particulas lapideas in Pulmones haurire solent, huic morbo esse maximè proclives. De Theoriâ non de ex-

perientia hanc observationem me iudice duxit. Diu de hac re ægros Phthisicos percontatus sum, sed quæ audiui quibus legi nequaquam conveniunt.

Causa tamen predisponens Phthisiös, longè aliis frequentior, diathesis est scrofulosa, in corpore vagans. De hac re bene disseruit illustris noster Cullenus. Hi morbi magnam inter se habent consensionem, et hanc opinionem corroborare videntur argumenta sequentia.

Imprimis, Scrofula, et Phthisis Pulmonalis in eadem familia sæpe observantur. Scrofula hos, Phthisis illos, aggreditur.

2do. Phthisis Pulmonalis et scrofula, in eodem homine, sæpe se ostendunt. Plurimi strumosi Phthisici tandem moriuntur. Habent utrique cutem lævem et faciem flo-

ridam et sæpe vultum pulcherrimum. Tumores colli, tabesque mesenterica, Phthisin subinde comitantur.

3tio. Ulcera Pulmonum Phthisica, et ulcera externa plane scrofulosa maximam inter se habent similitudinem. Ambo tardè progrediuntur; ambo difficiliter sanantur, iisdemque modis ambo levantur.

Minime tamen crediderim omnem casum Pulmonalis Phthiseos e scrofulâ pendere: ægros vel ipse vidi, in quibus nullum aliud scrofulæ signum in corpore se ostendit. Tubercula Pulmonum fortasse scrofulosa sunt. Nonnunquam tamen, ut mox notabimus, Phthisis sine tuberculis accidit.

Aliam causam predisponentem tantum memorabo, et hæc ad naturam morbi hæreditariam spectat. Inter progeniem ejusdem Fa-

miliæ diras strages sæpe facit. Mater Phthisica prolem Phthisicam sæpissimè gignit. Sed quid opus est de hac re disceptare?—Plura quam sat est exempla, quisque in memoriam cito revocabit.

Causæ hujus morbi excitantes valde numerosæ sunt. Frigus externum eum sæpe affert. Frigus cum humiditate causa est frequentior. Subitæ mutationes in temperie aëris atmospherici, Phthisi Pulmonali sæpe dant originem.

Omnium Causarum Phthisin excitantium frequentissima est Catarrhus. Catarrhus, in affectione inflammatoria, membranæ Bronchiorum mucosæ, plerumque consistit. In statu Pulmonum debili morbus progreditur, et pulmones ipsos demum invadit, inque Phthisin Pulmonalem abit. Alia quoque causa morbum subinde inducens, et

memoratu digna, Pneumonia est. Nonnulla exempla hujus rei mihi jampridem videre evenit. Singularem casum olim vidi, ubi post Peripneumoniam violentam, quæque cellula aëria pure implebatur, nulla comitante vomica. Frequentius tamen evenit, quum in suppurationem abierit pneumonia, duas vel tres vomicas, et amplas porro, formari. Materies purulenta in iis formata sæpe exscreatur, ægerque in sanitatem reducitur; quanquam per aliquot tempus symptomata adsunt confirmatæ phthiseos.

Hæmoptysis inter causas excitantes nunquam recensetur. Fortasse res ita se habet, sed Hæmoptysis, ut mihi videtur, Phthisi plerumque inducitur, non Phthisis Hæmoptysi. In scriptis cel. Culleni, Asthma Spasmodicum inter causas Phthisin excitantes, recensetur. Hujus rei non adhuc mihi fidem fecit. Plures Asthmatici non Phthisi, sed Hydro-

thorace pereunt. Nusquam vidi ægrum phthisicum qui Asthmati Spasmodico originem morbi attribuebat. Fœminam in nosocomio Sancti Georgii, hieme proximo, memini, quæ Asthmate Spasmodico per quatuordecim annos laboraverat, et cui demum, morbus Pulmonum obscurissimus, de quo plura dici debent, mortem attulit. Cadavere tamen inciso, nec vomica, nec tuberculum in Pulmonibus reperiatur. Si tubercula prius adessent, Asthma Phthisin festinaret.

Ordine jam præscripto, eæ res nunc describendæ sunt, quæ cadavere inciso, observantur. Auctores medici huic argumento fastigium jamdudum imposuere. Ea igitur solum memorabo quæ egometipse vidi.

Amoto sterno, adhæsiones inter pleuram costalem et pulmonalem apparent. Quantum vidi, hæ nunquam omnino desunt. In non-

nullis tamen exemplis numerosiores quam in aliis exstant. Subinde hæ membranæ perfectè inter se adhærent. Superficies Pulmonum ipsorum magis æquo variata videtur. Intus habent varias cellulas pure impletas,—vomicas, ut vulgo vocantur. Hæc Materies, nunc albidum, nunc subflavum, colorem exhibet.

Vomicæ Pulmonum, aliquando in uno latere thoracis solummodo observantur; sæpius, in utroque. Raro tamen in utroque æque numerosæ sunt. Non possum dicere, utrum latus sæpius hoc morbo afficitur. In hac re, me iudice non multum discrepant. Vomicæ nunc numerosæ sunt et parvæ, nunc amplæ sunt et paucae. Lobos Pulmonum superiores potissimum infestant. Lobi inferiores speciem saniozem plerumque servant.

In pulmonibus etiam sæpe reperiuntur cor-

puscula dura, parva, valde numerosa, tubercula dicta. Subinde tamen, eadem omnino desunt. Nonnunquam accidit, ut ea pars pulmonum, vomicis impleta, nulla contineat tubercula. In lobis Pulmonum inferioribus, si bene observavi, tubercula sæpius observantur.

Cor plerumque sanum est. Foramen ovale raro apertum reperitur. Hoc sanctius assevero, quia in incisione cadaverum, hanc corporis partem semper perscrutari curo. In abdomine non multum inest morbi. Hepar, ventriculus, pancreas, lien plerumque sana sunt. Ilium intestinum, tamen, inflammatum sæpe vidi, et sanguine turgidum.

Causis et sedibus Phthiseos Pulmonalis jam traditis, oportet nos nunc indagare theoriam morbi, cujus ope, rationem symptomatum accuratam, reddere speremus.

Decet imprimis quærere, quænam est natura morbi, quem Phthisin Pulmonalem hactenus nominavimus? Huic respondeo, Phthisin esse inflammationem Pulmonum chronicam, quæ in suppurationem abire maxumè proclivis est, et quæ feбри et profluviis comitantibus, ægrum debilitat et occidit. Talis morbi conspectus, et historiâ, et causis, et incisione cadaverum, bene ut opinor illustratur. Quænam sunt ejus symptomata? Ea, quæ pneumoniam quoque denotant.—Quænam res morbum inducunt? Eæ, quæ diathesin phlogisticam gignunt, vel quæ ab eadem gignuntur.—Quid ostendunt incisiones cadaverum? AdhæSIONem, suppurationem; et hæc inflammationem priorem, in omni parte corporis, indubitanter denotant.

Dolor lateris, tussis, spirandi difficultas, aliaque signa quæ in primis morbi temporibus

ægrum vexant, eandem explicationem sibi vindicant, ut peripneumoniæ symptomata.— Quid opus est nobis de hac re disputare? Eorum rationem silentio præteream.

Febris hecticæ, diversa a diversis auctoribus ratio reddita est. Absorpto puri a nonnullis haud parvi nominis tribuitur. Hæc opinio semper mihi visa est admodum obscura et incerta. Quare febrem induceret? Abscessus quidam et bubones sæpe sorbentur et in sanguinem deferuntur, nulla tamen sequente hecticâ. In abscessu musculi psoadis, si ullo modo potes efficere, ut materies purulenta sorbeatur, febrem hecticam non creas sed prævertis. Ecce crus ægri amputatum, quod pus diu effudit.—Pus adhuc in circulatione inest; sed vel prima nocte æger bene dormiet, et sequente die, omnino forsitan aberunt hecticæ symptomata. Denique, injice

pus in venas. Febrem hecticam non creas ; nullum incommodum patitur animal.

Alia ratio febris hecticæ, me iudice, reddenda est. Pus, materia blanda est et innoxua, ad superficiem excoriatam defendendam formata. Non verisimile est, febrem ex ea orituram esse. Hectica febris, ex irritatione quam tanta secretio creat in corpore, et debilitate quæ exinde inducitur, oriri potius videtur. Nemo est qui nescit, quoties hectica febris sine formato pure occurrit. Quandoque enim irritatio cujuslibet generis debilitate conjuncta in corpore existit, hectica febris in plerisque casibus tandem apparet. Fœmina nimis diu, infanti præbet ubera. Tantam lactis secretionem corpus non ferre valet, et in hecticam mulier incidit. Vir diabete laborat. Morbo diu manenti, insequitur hectica. In morbo coxario, ubi pus non secernitur, sed ubi multum doloris adest,

febris hectica frequenter observatur. Sæpe admiratus sum priorem theoriam tamdiu fuisse creditam.

Unde oriuntur sudores qui ægrum Phthisicum tantopere vexant? Adspice hominem qui, gravi peracta febre, convalescit.—Omni nocte sudore madet;—debilis erat et desudavit; valet et tolluntur sudores. Ex atonia vasorum cutis oriri videntur. Ii enim raro luci occurrunt; ægrum dormientem potissimum fatigant. In somno, omnes actiones corporis minuuntur, minus urinæ secernitur; calor corporis decrescit; minus frequenter pulsatur cor. Nonnulli quidem dicunt, omnem auctum exhalationum de actione auctâ pendere. Nequaquam in hanc opinionem jurare possum. Ægrum, vixdum submotam febre, œdema pedum adoritur. Ecce hydrodrops e debilitate oriens. Puellam olim novissimam, cessante typho, aggressus est hydro-

thorax. Ratio constat: de pleurâ non de cuti fiebat effusio. Patet ex his dictis, ægrum Phthisicum ob debilitatem sudare.

Unde oritur diarrhœa Phthiseos colliquativa? Fortasse, quia eadem in effusionem proclivitas, quæ in cute accidit, accidit etiam in partibus internis. Fortasse ex inflammatione ilii oritur, et huic opinioni magis adducerer ut fidem habeam, quod sudor sine diarrhœa, et diarrhœa sine sudore sæpe obvenit; et præsertim, quod in uno casu, quem vidi, æger dejectiones quasdam omnino sanguineas reddidit, et cadavere inciso, multa inflammationis signa inerant intestino ilio.

Quæstio, et certe maximi momenti hîc oritur. Qualia sunt Tubercula pulmonum? Tuberculum, post mortem, arte Ruyschiana impleri nequit. Multum dubito anne

tubercula Pulmonica structurâ fruuntur organicâ, an vasa habent, an inflammatio in iis oriri potest? Auctores Medici de tuberculo inflammato diu commentati sunt, sed desunt, ni fallor, argumenta quibus opinio corroborari possit. Tubercula, sine dubio, inflammationem pulmonibus inducunt, sed hoc fit, me iudice, partes vicinas irritando.

Jamdudum observavimus, partibus pulmonum superioribus plus morbi sæpius quam aliis inesse. Quare ita est?—Hæc pars pulmonum anne magis in inspiratione movetur, anne magis in expiratione opprimitur?—Non nobis est hanc litem componere.

Denique quærendum est, quare Phthisici moriuntur, vel quænam est mortis causa proxima? Plerumque diarrhœa mortem affert, sed hoc minime obtinet in omni casu; nonnun-

quam enim debilitati, quam tanta et diuturna effusio puris inducit, mors attribuenda est. Exhausti moriuntur—deficiente vi, sanguinem propellente.

SECTIO TERTIA.

In qua de curatione Morbi brevè agitur.

CURATIO Phthisiös Pulmonalis, opprobrium Medicinæ diu vocata est, nec immerito, ut opinor, quippe quanquam morbus diu cognitus est, non longe abest quin Galenus aut Hippocrates æque ut medici nostræ ætatis de ejus curatione cognoverint. Hic aerem purum et siccum commendat, ille impurum et sordidum. Alii lautam, alii tenuem diætam præcipiunt. Sanguis mittitur unius, cinchona sumitur alterius jussu. Minime sane sperare audeo, me in hoc libello, argumentum adeo sobcurum, posse illustrare. Sed diversa me-

dicamenta quæ ad Phthisin curandam adhibentur, et quæ usitata vidi, breviter notabo.

Imprimis autem observare oportet, experientiam meam de praxi nosocomiorum omnino collectam esse. Et jam satis comprobatum est, aëra talium ædium, Phthisi Pulmonali laborantibus alienum esse. Unde fortasse oritur, me, adeo rarissime ægrum Phthisicum, ad sanitatem redactum vidisse. Ruris aër, ni fallor, multo salubrior est, et in tollenda Phthisi multum valet.

In curatione hujus morbi varia medendi consilia auctores medici sibi proposuere. Nonnulli medicamenta adhibent, et præsertim emetica, ad tubercula Pulmonum discutienda. Hoc consilium nonnihil ineptum mihi videtur, neque majorem laudem, me judice, meretur praxis. Sæpe vidi emetica in hoc morbo data, sed nusquam ea profuisse vidi: ven-

trculus raro male se habet; quare igitur emetica daremus?

Nonnulli praecepta tradunt, et medicamina, praesertim balsamica, commendant, quibus suppuratio in Pulmonibus adjuvetur, et ulcera sanentur. Parva tamen fides, ut reor, vel iis ponenda est. Consilia medendi, quae mihi ipsi proponerem, sequentia sunt. In primis morbi temporibus, diathesin phlogisticam minuere, causasque excitantes vitare. In confirmato gradu morbi, vires aegri sustinere, et symptomata gravantia levare. Plura, ut opinor, bonus medicus rarissime sperare audebit.

Diæta, regimen, medicamenta antiphlogistica plane conveniunt. Diæta debet esse levis, et ea ex lacte confecta omnium certe utilissima est. Sanguinem parce et sæpe mittere plurimum boni pollicetur. Nunquam adhuc vidi Phthisin Pulmonalem hoc modo

omnino curatam, sed quantum vidi, haud parva fides huic remedio habenda est. Medici timere solent purgantia, ratione tamen, ut mihi apparet, non omnino valida.

Ad irritationem corporis levandam tussimque minuendam, opium a nonnullis commendatur. Hoc consilio, id sæpe largis dosibus adhibitum vidi; exempli gratia, medicaminis crudi granum unum quarta quaque hora datum, dum aderat multum irritationis, febrisque hecticæ, dum cor et arteriæ, in horæ sexagesima parte, cxliv micabant. Non dubito dicere, opium, tali modo datum, multum nocuisse. Pulsuum frequentiam non minuebat, sed potius augebat. Dosibus modicis, et hora somni datum, magnum levamen sæpe affert somnum inducendo, sed ut remedium generale, me iudice, opium nequaquam prodest.

Ad actionem vasorum Pulmonalium min-

uendam, digitalis purpurea in Phthisi Pulmonali sæpe adhibetur. Sæpenumero, ut testantur medici quibus magna fides habenda est, digitalis profuit. Medicamentum hoc, ut omnes consentiunt, magnis pollet viribus. Ictus arteriarum mire minuit, sed alia symptomata, non æqua ratione levat. Summa cura digitalem semper adhibere oportet, tum ob effectus ejus in ventriculum, et caput, tum ob effectus in cor. Medici diu notavere abnormem pulsum quem inducit. Nescio an de proclivitate ejus ad subitam mortem inducendam, unquam mentionem fecerint. Idem ex hydrargyro oriens, sæpe observatum est. Exemplum subitæ mortis a digitali unum alterumve vidi, plura ab amico meo Gul. Brande, in arte chemica perito, accepi.

Occasio frequens mihi olim data erat observandi et vires et effectus succi spissati conii,

—cicutæ, ut vulgo vocatur. Minime dubito, quin tales possideat virtutes, ut in curatione Phthisiös, medicamen efficax haberi mereatur. Forma extracti subinde adhibetur. A nonnullis folia pulverata usitantur. Irritationem levat, et obstructions solvere a quibusdam dicitur.

Causas excitantes sedulo vitare oportet. De veritate et momento hujus observationis non oritur quæstio. Quandoquidem frigus externum harum omnium frequentissima est, ægrum monere debemus, ne ejus periculo sese objiciat. Vestimenta lanea semper induere, et imbres pedumque humiditatem sedulo vitare moneatur. Pro certo etenim constat, quod si ulla diathesis phlogistica oritur in corpore, eæ partes semper maxime patiuntur, quæ vel ob morbum priorem, vel structuram congenitam, debiliores sunt. Quam ob causam, pedes madefacti, in hoc,

Catarrhum, in illo cynanchen, in alio pneumoniam inducunt. Ægrum in memoriam revoco, qui olim feбри Walcherenicâ laboraverat, et cui eadem causa lienis tumorem inducebat.

Quod ad mutationem cœli attinet, in salutem nonnunquam cedit, sæpius vero mortem tantum differt. Attamen hoc crudelissimum sæpe fit remedium. Æger procul a domo, a patria, ab amicis, a solamine, in miseriam et mortem mittitur. Minime suaderem cœli mutationem, ni aliæ res admodum opportunæ evenirent.

In Phthisi curanda, vesicatoria lyttæ maximos sibi vindicant honores, et præsertim in primis gradibus. Epispastica repetita, prout occasio postulat non metuenda sunt. Medicamenta salina, cui addendæ sunt antimonii præparationes, cum pauxillo tincturæ opii, subinde

dari merentur. Hinc, motus sanguinis per totum corpus æqualior fit, ejusque in pulmones determinatio aliquantulum minuitur.

In provectoribus gradibus Phthisiös Pulmonalis, quum æger materiem purulentam expuat, et verisimile sit, innumeras vomicas in Pulmonibus jam factas esse, quum ægri vires indies deficient, febrisque hectica magis magisque augeatur, curandi ratio aliquantulum mutari debet. Ægri vires diæta generosiori sustinere æquum est; et symptomata urgentia observare et qua possumus tollere, aut levare.

Sudores colliquativi difficillime cohibentur. Acida maxime prosunt; acidum vitriolicum dilutum, inter hæc remedia, primos occupat honores. Cum decocto cinchonæ, et tinctura zingiberis, eventu optimo, sæpe adhibetur.

Ad diarrhœam colliquativam restringendam, opiata et astringentia remedia, maxume prosunt. Mistura cretacea cum confectione aromatica, tinctura opii, et oleo essentiali cinnamomi, prout urgeant symptomata, plerumque sufficit. Sin autem persistat diarrhœa, quantitatem tincturæ opii augere oportet, et haustui addere tincturam catechu vel kino. Decoctum hæmatoxyli minime contemno. Optimos sæpe edit effectus, ut et ipse vidi. Electuarium catechu, ut in Pharm: Edinensi vocatur, remedium est et elegans et efficax.

Tussis sedari debet, ope medicamentorum demulcentium et expectorantium. Scilla Maritima prioribus juncta, præsertim ipsius præparata mitiora veluti oxymel, acetum, non nihil prodesse videntur.

Varia medicamenta tonica dicta, non-

nunquam usitantur. Decoctum cinchonæ subinde prodest. Sæpissime vidi misturam viridem Domini Griffith, vel ut in Pharm. Londin. nominatur, misturam myrrhæ compositam, in hoc morbi gradu adhibitam.— Superdicere tamen me piget, sine ullo levamine. Vesicatoria continuari debent. Fortasse setaceum vel ulcus perpetuum levamen præberet. Horum remediorum ratio non omnino patet. Diu tamen observatum est, irritationem in externa parte corporis, quamquam arte factam, morbum internum sæpe levare. Chirurghi in curatione quorundam morborum hanc observationem sæpe confirmatam vident.

HUIC Dissertationi jam finem imposito
nihil amplius mihi restat, quin ut Professoribus
hujus Almæ Academiæ, et præsertim Pa-

truo meo dilectissimo, Jacobo Gregory, gratias reddam meritas. Diu vivant, diu valeant, patriamque et scientiâ et vera medicinâ impleant. Neque silentio præterire decet innumera beneficia quæ Londini recepi a præceptoribus meis, in Arte Medica peritissimis. Societati Medicæ Westmonasteriensi, ejusque sociis, gratiæ quoque agendæ sunt. Ex iis fontibus maximum fructum, maxima cum voluptate biennio duxi.

FINIS.

EDINBURGI:

Excudebant JA. BALLANTYNE et SOCII.